

plenissimus & perfectissimus, quia Christus hunc justitiæ fructum adimplevit. Hoc oraculum, divitiis & delitiis mysticis abundantissimum, alia plurima nobis offerret, sed ea nunc evolvere, nostri non est instituti.

CAPUT IV.

Quoad Analysin Theoretico-Practicam.

I.

Restat adhuc, ut *usus Theoretico-Practicos* ex hoc *Oculo* colligamus. Facit enim hoc *Orculum*, & ad *Theorian*, sive respiciamus *veritatis γνώσιν*, & *Locos communes Didacticos*, sive variorum *errorum ἔλεγχον* attendamus, vel *locos polemicos*: & ad *praxin*, sive *studium pietatis*, sive *fugam*, & *cessationem impietatis*, sive *fontes paracleticos*, observare velimus, Hi namq; sunt fines oraculorum divinatorum, & imprimis Christi, sicut constat ex *II. Tim. III. 16. Rom. XV. 4.*

2. Quod attinet *διδασκαλίαν*, ex hoc *Oculo* numero plurima, pondere maxima doctrinae capita fluunt: nos modo pauca delibabimus. (1) *Jesum Nazarenum esse verum Mundi Messiam*, quod probatur (1) *ex appellatione*, quia καὶ ἕξοχὴν *JEsue* dicitur, i. e. *Salvator*, qui populum suum salvat à peccatis suis *Matt. I. 21.* (2) *ex baptismi principalis susceptione*, quæ tantæ dignitatis, tantæ sublimitatis erat, ut *Johannes baptista*, magnus *DEI* legatus *Job. I. 31. Luc. III. 2. propheta* Spiritu S. præditus, & illuminatus, *Luc. I. 76.* & quidem *propheta major Matt. XI. 9.* nihil ejus intelligere potuerit. (3) *Ex Johannis & Christi collatione*, quia major est *Johanne Baptista*, qui maximus est inter natos è mulieribus *Matt. XI. 11.* hic autem indignum se judicavit, ut solveret corrigiam calceamentorum ejus *Job. I. 27.* & h. l. v. 14. dicit: *Ego opus habeo à te baptisari, & tu venis ad me*: fuit ergo superior, major omni respectu, hinc etiam *Johannem* informavit, & baptismum hunc principale mandavit. (4) *ex omnia justitiæ adimplerione*: nam qui justitiam omnem adimplet, ille citra dubium est *Messias*, (5) *Ex Johannis testificatione*, quia

Johanne